

rum videbant) haud tamen in tanta occasione cessarunt. 1403
 Novissime igitur legatos ad se cum clavibus urbis missos
 (cujus legationis princeps Jacobus Thienius fuisse dicitur)
 Veneti benigne accipiunt, jubentque eos in fidem acce-
 ptos bene sperare: daturos se operam, ut brevi Patavinus
 ille, qui omnia strepitu & minis compleret, nisi Vincen-
 tinorum rebus abstinere, suarum sollicitus paulo post,
 non finitimis, non ulli gentium esset gravis. Cæterum,
 quando Vincentini ita animati essent, ut nihil suæ civita-
 ti conducibilius ab initio duxerint, quam in Veneti im-
 perii umbra conquiescere, daturos se pro viribus operam,
 ut nullo tempore tam fidam civitatem sui in Venetos stu-
 dii pœniteat. Irent igitur, & quod sibi & illis bene ver-
 teret, Divi Marci signa secum ferrent, quæ publicis locis
 urbis præfigerent: reliquarum rerum curam penes Principem
 & Patres fore. Atque cum his missi sunt legati. Eos
 abeuntes Jacobus Surianus cum magna sagittariorum ma-
 nu ad præsidium urbis est secutus. Missus etiam qui pu-
 blico nomine Carrario nunciaret, ut a Vincentinorum,
 quia in Venetorum fidem venissent, rebus abstinere. Qui
 tantum abfuit ut denunciatione illa ab incepto abstiterit,
 quod caduceatorem ad id missum, contra jus gentium,
 violarit, naso illi & auribus præcis. Jubet ad hæc Vene-
 tis renunciari, indigne eos facere, qui leges merito impe-
 rantibus præscribere audeant. Irent ipsi, & pelagi æstua-
 riis se tenerent: eosque civitatibus præesse sinerent, qui
 a majoribus dominandi facultatem accepissent. Superbissi-
 mo tyranni responso commoti Patres, pro magno negotio
 habuerunt, priusquam aperte ad arma curreretur, cum
 Francisco Gonzaga societatem adversus Carrarios inire. In-
 terim Feltrenses Vincentinorum studium secuti, Belun-
 nenses & Bassanici imperium & ipsi ultro accepere. Co-
 lonia magni omnino certaminis causam præbuit. Patavi-
 nus Venetorum conatibus ubique occurrens, omnia illis
 reddere infesta. Id Patres indigne ferentes, copias quam
 maximas continuo decernunt, decretas studio contrahunt:
 earum imperium Carolo Malatestæ Ariminensi ex Flami-

*Carrarius
legatum
Venetum
violat.*

1404
*Bellum Car-
rario infer-
tur.*